ORATIONES

IN LAVDEM
EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS
ANTONII MARIAE
BVCARELI
MEXICANI PROREGIS.

QVAS

IN REGIA PONTIFICIA MEXICANA ACADEMIA PROTVLIT FRANCISCVS ANTONIVS MARRVGAT, ET BOLDVTIVS, SEMINARII CONVICTOR, PRIVSQVAM DE LOCIS THEOLOGICIS SERMONEM INSTITVISSET: NIMIRVM, CVM AVREVM VOLVMEN A CLARISSIMO CANO ELVCVBRATVM TRIBVS DIEBVS DEFENDERET.



(D. L. D. R.)

MEXICI APVD D. PHILIPPVM ZVNNIGAM, ET ONTIVEROS TYPOGRAPHVM.

ORATIO PRIMA.

EGO vero praestantissimum, atque egregium volumen, quod serae posteritati maximum Hispaniae ornamentum Canus adeo foeliciter consecravit, non tam mihi laudis ambiendae, quam vobis operis commendandi, in hac optima sapientissimorum virorum corona, hodierna die, binisque posterioribus sum equidem defensurus. Sed quoniam more, institutoque à maioribus nostris receptum est, ut cuius nos tutelae nostra omnia committimus, vel virtutem, vel gloriam laudibus extollamus ornatissimi Viri, illustrissimi Principis, Maximique Proregis ANTONII, scilicet, MARIAE BVCARELI immortalia merita, priusquam operi accingar ¡Proh Deus! ¡Quantum onus! oratione complectar.

¿Qui

¿Qui tamen, Auditores amplissimi, vel ab ipso Demosthene fieri posset ut apud vos, aequos rerum aestimatores, tot, tam praeclara, & omni praeconio digna, si minus verbis suis affatim exornaret, strictim omnia, sed arctis tamen limitibus comprehenderet? Nam si quae domi, militiaeque excellentissimus ille Dynasta gesserit: si quae rebus cum publicis, tum privatis utilia, si quae magna, eximia, ab invidisque oblivionibus libera, is referat, qui virtutem, animique ornamenta memoria colat, dies (mihi credite) illum deficiet. Itaque ne facinorum multitudine (quae uberiorem certe desiderat orationem) penitus obruar; hodierna die, Viri amplissimi, non de illius animi magnitudine, atque praestantia, non de integritate, & prudentia, non de maturitate, & in gerendis rebus solertia, nec de gravitate, & consilio mihi loquendum est. Haec enim tum cum & generis, & avitae fortitudinis documenta vobis exponam, nisi

si à me, quo decet eloquentiae ornatu, ac nitore funditus illustrentur; veterem tamen illorum gloriam, amplitudinem, splendorem in lucem proferam.

Age vero, & quia dicendi praefinitum est tempus, non omnia quidem ornatissimum Principem spectantia; sed quae virum in litteras satis devexum, de illisque optime meritum comitantur, ea sunt (¡Fer opem Deus immortalis!) breviter recensenda. Vereor tamen ne si libenter his me, uti verborum ubertatem affectem, plane concedam, honestissimi Viri cuius animus longe est ab assentationum illecebris, offensionem incurram. Sed pace tua, Princeps excellentissime, pace tua aliquid de te tanquam absente dicam.

Equidem ita sentio: te utpote litterarum praesidio natum, nedum in campo, bellicisque negotiis instructum esse, sed in Minervae etiam tropicis enutritum. Neque enim te multiplices curae neque maximarum rerum administratio,

neque rei etiam qua publicae, qua privatae negotia à terendis, volutandisque aliquorum scriptis, hisque celebrioribus abstrahunt. Quod sane experiuntur illi praesertim, apud quos iam diutissime commoraris. ¿Quid? ¿Quod sapientes impense colis? ¿Quod ipsorum iudicia expectas, & qua tibi incedendum sit in commisso munere, si quae se se offerunt tricae, ac difficultates ab his inquiris?

Multa equidem praetereo digna medius fidius Isocrate, aut Homero si mamvis egregio buccinatore. Sed eam vero, quam in studiis fovendis alacritatem nuper experti, & mirati sumus; ignavi esset, ac socordis hominis praeterire. Nam cum Mexicani Proceres in curam elegantiores litteras statuendi diligentissime incumberent; omnem operam diligentiam, & quod magis optandum esset opem tuam, ac favorem, ut Americani nominis existimationi, ac famae consuleretur, impensurum te libenter spopondisti.

¡O

¡O ingentem litterarum amorem, atque observantiam! ¡O praeclarum omnibusque saeculis celebrandum studium! ¡O eximium, nobilissimi, & generosi Principis animum!

Perge, perge Vir ornatissime macte que esto litterarum amore, quae cum tibi cordi sint, maximeque delectent; non est quod pluribus elucubratissimum opus auspiciis tuis consecratum, iterum tibi, atque iterato commendem. Sed quia illud excepisti, quae tua est humanitas, Princeps excellentissime, meque etiam nomine tuo, ac clientela beasti gratias habeo tibi immortales. Unde tuam in me comitatem, benevolentiam, lenitatem omni observantia colam, fide, memoriaque sempiterna.

DIXI.



ORATIO SECUNDA.

HEsterna die, Viri amplissimi, antequam me in disputationem dedissem, suavissimum, ac prae caeteris humanissimum Principem litterarum optimum assertorem summis laudibus,ut par erat, summoque etiam opere commendavimus: hodie vero, & avitae fortitudinis documenta, & facinora eius, militiae perpetrata, qua soletis animi contentione, ac benevolentia percipite.

Primum autem Parthenopes, & Siciliae potentissima regna, quorum ille interfuit expugnationi, vim, robur, alacritatem, fidem, caeterasque bellatorum dotes, quibus inclaruit, testata omnia posteris reliquerunt.

Testem appello te, armorum decus, atque ornamentum Italia, cuius in castris ille de hoste triumphavit: testem,inquam,

quàm, appello te. ¿Quid enim in Bituntino praelio nisi dignum strenuo milite, aut pugnacissimo Imperatore praestitit? ¿Quod in munitissimarum arcium obsidione non dedit, vel virtutis, vel industriae militaris specimen? ¿In quot etiam vitae discrimina apud Allogobres non se immisit? ¿Quot pericula non adivit? ¿Quot? ¿Sed quid vos remoror? Cum in tanta rerum copia, pluribus consulto supersedendum sit, ne longius fortasse quam moris est, nostra excurrat oratio. Ergo ¿Quid ille cum Tanarum traiiceret? ¿Quid cum Dertona vel obsessa, vel demum expugnata est? ¿Quid praeterea in Statielorum Alexandria, aut in Foro denique Fulvii gesserit? licet invitus, equidem praetermitam: at quantum illud quam etiam inclitum, omnique laude dignum existimetis, vos Patres, quibus acre sane iudicium est, tacitis animis penditote.

Interea tamen, & Parmensis ager, & Cotoneum, & Placentia loquentur;

prae-

praeterquamquod apud Eridanum, Bariam, Liguriam, Niciam, Lusitaniam tandiu excellentissimi huiusce Principis gloria, famaque perennabit, quandiu suus armis constabit honos. Etenim ille cum exercitus à Nicaea recesisset, Tribunus Militum nuncupatus, si non omnes animi praestantia antecelluit; at certe cum primis Equitum de palma certavit.

Sed, postea quam victoriam, hostibus superatis, Hispani reportarunt, soluto bello, animisque sedatis, ut Equitum turmas recenseret delectus, omnium plausu recensuit. Ut ora Illiberitana lustraret à Rege missus, accurate lustravit. Ut loca, situsque designaret, queis valida propugnacula adversus Mauritanos sternerentur, regio item iussu arcesitus, optime designavit.

Atque in his caste, integreque versatus, nedum Hispaniae finibus, sed exteris etiam famae celebritate notus, maximam sibi peperit laudem, ac Maioribus

ioribus suis immortale decus adiunxit.

¿Ecquis vero res ab eo in Lusitano bello, cum Hipparcum ageret, Equitumve Inspectorem, tam viriliter gestas non dicam exornare, sed percensere possit?

Ego plura, Auditores amplissimi, silentio premam, atque ea profecto sciens, prudensque praetermitam; siquidem nullus unquam Hispaniae locus, nullus etiam Italiae, nulla demum totius qua late patet Europae civitas, nullus angulus de suis laudibus conticescet.

Unde reliquum est, ut vos Milites fortissimi, vos item Equites nobilissimi, verbo dixerim, omnes quibus Hispaniae nomen pulchrum est, ac decórum, reliquum est ut ¡Io! Triumphe! ad tantum Heroa laudibus prosequendum ingeminetis.

¿Mihi enim vero quid superest? Nisi ut finem dicendi faciam, tantique, ac tam praeclari viri patrocinio suffultus in arenam disputationis descendam?

DIXI.

ORATIO TERTIA.

¿ERgone in Principe, moribus spectatissimo, satis ut est commendando mihi immorari liceat? ¿Ergo ne illum à generis amplitudine, dignitate, antiquitate laudare possim? ¡Utinam, Viri ornatissimi, quam de rebus theologicis, tam etiam dicendi locum de amplissimo Equite, de iustitiae integerrimo Iudice, de prudentissimo, scilicet, huius Urbis Prorege, hodierna die statueretis! ¡Quam multa, Deus immortalis! ¡Quam eximia, & praeclara, licet incompta oratione, possem, at facili negotio complecti! Primum enim Maiores meminissem, fide, & pietate nobiles, armis inclitos, religione claros, fortitudine insignes, omniumque virtutum genere illustres, si quid vero ad rem pertinet, aere quoque conspicuos. Deinde (quod profecto

fecto orationis scopus esset) Bucareliana proles honoribus macta, atque in aevum omne posteris praedicanda, vestris, vel auribus, vel oculis sisteretur.

Equidem clarissimos Imperatoris Legatos, regiosque Provinciarum Praefectos, & Franciscum Paulaeum, & Nicolaum, & Antonium, germanos fratres, optimam, videlicet, illius propaginis sobolem, Codro certe, atque Sparta generosiorem, Vasconia, Gades, Mexicus è vestigio proferrent. Haud etiam Ludovicus suus Hispaliensibus deesset. ¡Superum fidem! ¡Quam ille pius, atque in miseros officiosus! ¡Quam etiam in egenos munificus! ¡Quam benignus! ¡Quam liberalis!

Diem eximerem, si Bucareliae gentis decora, si avitam amplitudinem, si praestantiam, si claritatem, si omnia denique dignitatis stemmata, veteraque monumenta, quibus ornatam iri arbitratus sum, numerando persequi vellem. Vestrum erit, Viri gravissimi, si

in

in rebus adeo perspicuis testes etiam vocandi sunt, aut Baeticam, aut Hispaniam, aut totam, si mavultis, Europam antestari.

Mihi vero de Maecenatis virtute, de prudentia in re publica administranda, de cura, studio, atque in obeundo sibi delato munere diligentia, apud vos homines in primis disertos, sermo erit per quam brevissimus.

¿Ecquis igitur tam in rebus erit politicis hospes, & peregrinus, qui huiusce Principis indolem, mitissimum ingenium, urbanitatem, caeteraque, quae maximum, ac praestantem Heroa constituunt, perspecte non noverit?

Mirari subit, Viri amplissimi, quod licet ille adserendae iustitiae Praefectus sit, atque ad huius Urbis Provinciae clavum cum potestate, & imperio sedeat; neque acerbitatem affectet, neque supercilium adhibeat, neque fastum ostentet. Suavis est; sed cum gravitate. Comis est; sed cum maiestate. Frugalis est;

sed

sed cum magnificentia. Atque ut omnia, velut uno face, complectar, optimo, egregioque Hispaniarum Monarchae CAROLO III gratus est quam quod maxime.

Plura sunt quae certiores nos faciunt de regia adversus Maecenatem nostrum benevolentia. ¿Quid? ¿Habanensis Portus? ¿Cubana Civitas? ¿Et, quod praestantius est, Mexicanum Regnum nisi viro apud Regem non in postremis habito, atque spectata fide commiteretur? ¿Quid?

Sed disserendi tempus prope est. Ergo ab his tandem, velut excuneatus discedam. Adeste dum Viri Theologi: una mecum concedite, ac de Locis Theologicis, quod solentes facitis, maturitate, iudicio, & consilio disserite. Nobis autem demandatam Provinciam sub excellentissimi Maecenatis tutela spes est, nisi vis maior, foeliciter admodum suscepturos.

DIXI.